

Prophetam, diuersum sensum exigit. Nam ætate vel seculū significat. Quare locum decebat in melius à censoribus corrigi, non trahi in deterius. Nihil enim aliud sibi vult Propheta, quàm perpetuam fore Christi vitam, & eam quidem in Ecclesiæ perpetuitate.

Act. 10. d. 26.

Artic. 14.

Petrus vero eleuauit eum. *Annotatio*, Petrus non vult sibi flecti genua. In summario 1541. In marginibus 1543. 1545.

*Censura*, Hæc annotatio captiosa est, cum ex ea possint multi assumere ansam negligendi cultum Sanctorum.

Si captiose hoc scriptum est, Lucam reprehendant historiæ authorem, qui Petrum non refert adorationem latriæ recusasse: sed ne sibi genua flecterentur à Cornelio. Nunc ex inferis sanctos suos eruat Sorbona, necesse est, qui cultum sibi deferri postulēt, quem Petrus Spiritus sancti instinctu damnauit.

Act. 19. a. 5.

Artic. 15.

Baptizati sunt in nomine Domini Iesu. *Annotatio*, Id est, baptismo Christi baptizati sunt, hoc est, baptismo Spiritus,